

barbam, barbam Aaron (*Psal.* cxxxii, 2). » Firmissime autem credendum est, quod hac unctio, et Christi benedictionem et Spiritus sancti majorem gratiam suscipiat. Unguntur autem et nanus, ut quæcunque benedixerint benedicantur, et quæcunque sanctificaverint, sanctificentur. Hæc autem unctio in episcopo otiosa esse non lebet. Ungitur exterius, ungitur et int-rius : **307** ungitur in capite, ungitur et in mente ; nam et mens caput est ; caput utique, sed melioris et interioris hominis. De hoc enim capite Dominus ait : Tu autem cum jejunas, unge caput tuum (*Math.* 23, 17). » Unge, inquit, sed quæ oleo ? non olivæ, sed misericordiæ. Ungatur igitur mens pietatis et misericordiæ oleo, ut bonæ vitæ et sanctæ conversa-

tionis longe circumquaque cunctis suavem et detestabilem spargat odorem. Quæ enim mens tali oleo uncta fuerit, omnium miserebitur et super omnes cordis compassione movebitur. Sed quia non sufficit mente tantum et voluntate misereri, ungitur et manus, ut misericordia, quæ mente concipitur, manibus quoque exerceatur. Ungantur igitur manus episcopi pietatis et misericordiæ oleo ; nemini claudantur, omnibus aperiantur. Audiat quid de Ecclesia dicitur : « Manum suam aperuit inopi, et brachium suum extendit ad pauperem (*Prov.* xxxi, 20). » Manus arida, manus avara, manus tenacitate contracta non potest aperiri. Ungatur igitur et sanetur ; ungitur et aperiat, et indigentibus elemosynas largiatur.

S. LEONIS PAPÆ IX VITA

AUCTORE S. BRUNONE.

Bruxo Signiensis episcopus omnibus fidelibus et catholicis universis.

Gratia (1976) vobis, et pax a Deo Patre nostro, et eo nostro Jesu Christo. Psalmista loquitur, dicens : Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen ejus in idipsum (*Psal.* xxxiii, 4). » Qua in re manifestissime docet, ut nos quoque ad Dei laudem magnificentiam, quoscunque possumus, invitemus. Omnis enim laus, omnis virtus et gloria sanctorum ad illum refertur, qui est mirabilis in sanctis suis ; qui suis quoque discipulis ait : « Sine me nihil potestis facere (*Joan.* xv, 7). » Ipse in regulis coronatur et in omnibus honoratur, ipse in eis loquitur, ipse in eis pugnat et vincit. Unde et si fideles, et servi ejus non immerito dicunt : In te faciemus virtutem (*Psal.* cvii, 14), et ipse ad nihil deducet inimicos nostros. Laudemus ergo vetos Dei, honoremus amicos Dei : siquidem ipse videtur, et magnificatur in eis, qui hanc tantam gloriam, virtutes et magnificentiam dedit eis. Rogo ita-

que, magnificate Dominum mecum, et in hac tanta solemnitate Beati Leonis summi pontificis et universalis papæ exaltemus nomen ejus in idipsum.

Mundus (1977) totus in maligno positus erat ; defecerat sanctitas, justitia perierat et veritas sepulta erat : regnabat iniquitas, avaritia dominabatur ; Simon Magus Ecclesiam possidebat, episcopi et sacerdotes voluptatibus et fornicationi dediti erant. Non erubescabant sacerdotes uxores ducere, palam nuptias faciebant, nefanda matrimonia contrahebant, **608** et legibus eas dotabant, cum quibus secundum leges, nec in una domo simul habitare debebant. Sacri namque canones nullas alias mulieres simul cum hoc ordine habitare permittunt, nisi eas solas quæ omni careant suspicione. Sed, quod his omnibus deterius est, vix aliquis inveniebatur, qui vel Simoniacus non esset, vel a Simoniacis ordinatus non fuisset (1978). Unde etiam usque hodie inveniuntur quidam, qui male argumentantes ab illo jam tempore sacerdotium in Ecclesia defecisse conten-

(1976) De hac S. Leonis papæ IX Vita, a S. Bruno Signiensi episcopo exarata, mentionem faciunt Landiani ad diem 19 mensis Aprilis, pluribusque locis ejus testimonio utuntur. Eruditissimus etiam esul Stephanus Borgia, nunc S. R. E. cardinalis plissimus ejusdem Vitæ meminit tom. II Hist. Benevent. pag. 295, 311 et 515. Eamdem commendat præclara in defensione dominii apertalis apostolicæ sedis in utraque Sicilia, anno xime elapso typis edita : ubi plures refert scriptoribus in laudibus Brunonis consentientes.

Vibertus Eccl. Tullensis archidiaconus gesta iter S. Leonis publicavit. Huic addit anonymus ptor, ejus vitam sancti pontificis ex eod. ms. eventano primus in lucem protulit idem eminentissimus Borgia in cit. Histor. Benevent. tom. II, . 299 et seq. Leo similiter cardinalis Ostiensis in

Chronico Casinensi insignia ejusdem pontificis acta persæpe summa cum laude commemorat.

Clariss. Ludovius Ant. Muratori part. II, tom. III, Rerum Italicarum Brunonis Vitam S. Leonis reliqua inter monumenta memoriæ dignissima retulit.

(1977). Mirum esse non debet, si Bruno plenus zelo domus Dei hujusmodi locutionibus utatur, quæ videntur per se universum orbem Christianum vitis multis deformatum, præcipue vero Simonia crimine infectum ostendere. Verum quamvis error ille, et corruptio late pateret, attamen ex historia ecclesiastica satis compertum fit plures episcopos, aliosque ecclesiasticos viros illo ævo vitæ integritate coruscare, et sacrarum ac canonicarum legum custodes optimos se præbere. Alii quoque Patres similibus in circumstantiis simili usi sunt loquendi more.

(1978) Primas inter curas Leonis IX, cum ad Ro-

dant. Aiunt enim : Si omnes tales erant, id est, si omnes Simoniaci erant, vel a Simoniaciis ordinati, vos qui nunc estis, unde huc venistis? Per quos, nisi per illos transistis? Non fuit via aliunde. Ergo illi, qui vos ordinarunt, ab illis et non ab aliis suis ordines susceperunt qui vel Simoniaci erant vel a Simoniaciis ordinati erant. Illis autem postea respondimus, quoniam hæc quæstio non parvam quærit disputationem. Nunc interim, quæ cœpimus, prosequamur.

Talis erat Ecclesia, tales erant episcopi et sacerdotes, tales fuerant aliqui ex Romanis pontificibus, qui omnes illuminare debebant : omnes sal erat infatuatum, neque erat aliquid in quo consideretur. Et nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus et quasi Gomorrha similes essemus. In hac igitur tanta tempestate beatus Leo apostolici culminis cathedram ascendit (1179), ut hæc talis tantaque lucerna, universali candelabro superposita, luceret omnibus, qui in domo sunt.

Erat enim hic Tullensis episcopus Bruno nomine, nobilis genere, forma speciosus; sed speciosior sanctitate, literis instructus, doctrina potens, moribus ornatus et quæcumque huic ordini necessaria sunt, simul in eo omnia convenerant. Et talis quidem magister necessarius erat, qui tali tempore, et tales discipulos habiturus erat.

manam sedem ascendit, hæc fuit ut Romæ concilium episcoporum haberet, in quo de eorum ordinationibus per quam diligenter perquisitum est et plures episcopi immunes a Simonia reperti sunt; aliqui ad penitentiam revocati, alii contumaces ab exercitio ordinis interdicti. Huiusce S. Leonis sollicitudinis sit mentio in canone 1 concilii Rom. ab Alexandro II, an. 1063, coacti, in quo iterum Simonia damnata fuit. Hic ergo canon ita se habet apud clariss. Carolum Berardi part. II, tom. II, pag. 401 : *Primo namque inspecto Deo, sicut a S. papa Leone et a S. memor. Nicolao primum statutum est, erga Simoniacos nullam misericordiam in dignitate servanda habendam esse decernimus; sed juxta sanctiones et decreta SS. Patrum, eos omnino damnamus, ac in Ecclesia non præesse apostolica auctoritate decernimus. Cum etiam ad rem nostram faciat canon. II, qui de illis Simoniaciis agit, qui gratis ab episcopis Simonia infecti ordinati sunt, cum eisdem pro circumstantia temporum indulgendum esse dicit; proindeque ait : Eos, qui usque modo gratis sunt a Simoniaciis ordinati, non tam obtentu justitiæ, quam intuitu misericordiæ, in acceptis ordinibus manere permittimus; nisi forte alia culpa ex vita eorum secundum canones eis obsistat. Tanta quippe talium multitudo est, ut rigorem canonum super eos servare non possumus, necesse sit, ut dispensatione ad pie condensationis studium nostros animos ad præsens inclinemus, etc.*

(1179) Successit in pontificatu Romano Damaso II, qui Romanam sedem 23 diebus solum tenuerat, datusque fuerat successor Benedicti IX, post ejus recessum ad agenda suorum peccatorum penitentiam. De hoc pontifice scriptores illius temporis referunt, potentia comitum Tuscanorum ad S. Petri cathedram evectum semel, et iterum depulsum, tertio eam occupasse. Ita Spondanus ad an. 1045 et Fleurius lib. LIX, post Leonem Ostiensem, aliosque plures idem asserentes. Dissentit ab his clarissimus Carolus Sebastianus Berardi in part. II,

Convenerunt itaque viri religiosi simul cum Henrico imperatore (1180), viro per omnia prudentissimo, et legatis Romanorum, qui tunc temporis ibi erant, præfatum episcopum multum deprecantes, ut pro amore principum apostolorum Petri et Pauli, Romanæ Ecclesiæ subveniret, seseque pro fide et religione christiana periculis tradere non timeret (1181). Timebat enim gens illa hujus nostræ terræ habitationem, utpote quæ de locis sanissimis ad loca infirma transmearet.

Beatus autem ille episcopus, non loci infirmitatem, sed tantæ Ecclesiæ sublimitatem ascendere metuebat. Sic enim et Moyses fecisse legitur; quem cum Dominus Israelitico populo præponere voluisset, ait : « Obsecro Domine, misere quem missurus es (Exod. IV, 13). » Victas tandem eorum precibus, quod illi postulabant, se sub hac conditione facturum esse promisit. « Ego, inquit, Romam vada; ibique si clerus et populus sponte me sibi in pontificem elegerit, faciam quod rogatis: aliter electionem nullam auscipiam (1182). » At illi gavisi confirmant sententiam, et laudant conditionem. Illis autem diebus, erat ibi monachus quidam Romanus, Udebrændus nomine, nobilis indolis adolescens, clari ingenii, sanctæque religionis (1185). Inerat autem ille, tum discendi gratia, tum etiam ut in aliquo religioso loco sub beati Benedicti Be-

tom. II. Correct. Gratiani pag. 375, qui Leonis II electionem collocat anno 1048.

(1180) Fuit Henricus II, anno regni ejus III. (1181) Defuncto igitur (ut dictum est) Damaso, et Benedicto sedem rursus sibi vindicare nitente, ne tale monstrum iterum subire sancta Ecclesia cogeretur, necessaria missa est a Romanis in Germaniam legatio ad Henricum imperatorem, qui petierunt pontificem ab eo dari. Sed hujusmodi legatio a cardinalibus missa fuit, non ut ipse imperator papam eligeret, sed quem sibi utilem fore putaret, Romam mitteret, ut ex more consilio cardinalium in ipsa Urbe pontifex eligeretur. Spondanus ad an. 1049.

Splendorem autem pristinum apostolicæ cathedræ reddidit S. Leo IX antea Bruno Tullensis episcopus, electus in conventu Veromatensi. Qui Simoniaciis pluries damnatis, Bergarii proscripti hæresi, amoto sacerdotii honore Gregorio Veretlensi reo adulterii, ac perjurii, devictisque hostibus, religione potius, quam armis, dum ageret sextum pontificii muneris annum, ad cælestem regnum migravit an. 1054 die 19 Aprilis. Berti Histor. Ecl. tom. II, pag. 6.

In nota hæc addit : Leonis IX electio contigit an. 1048, sed ea conditione, ut ejus electio approbaretur a clero, populoque Romano. Adveniens itaque Romam omnium consensu, plausuque theatro pontificium ascendit proximo anno 1049, pridie Idus Februarii. Fuit filius comitis Daspurgensis, natus anno 1002. Creatus est Tullensis episcopus et monacho Ord. S. Benedicti anno 1026. Plura de his Richerius in Chronico abbatiæ Senoniensis, editio a D. Dacherio tom. II Spicilegii.

(1182) Item confirmant Wibertus cap. 2, lib. VII et anonymus Beneventanus, qui pomp. in Urbis celebritatemque eo die quo Leo publicis suffragiis et acclamationibus pontificatum Rom. assumpsit, describit.

(1183) Hic natione Tuscus, patria Suavensis dicitur

gula militaret. Hunc igitur beatus episcopus vocavit ad se, cujus propositum, voluntatem et religionem mox ut cognovit, rogatus eum ut simul cum eo Romam rediret. Cui ille: «Non lacio,» inquit. Respondit episcopus: «Quare non?» At ille: «Quia non secundum canonicam institutionem, sed per sæcularem et regiam potestatem Romanam Ecclesiam accipere vadis.» Ille autem, ut erat natura simplex atque mitissimus, patienter ei satisfacit, reddita de omnibus, sicut ille voluerat, ratione. Quo nimirum in facto beati Petri apostoli, cujus successor mox ipse futurus erat, imitatore se gessit. Cum enim Cornelium baptizasset, hominem scilicet gentilem, et a religione Judæorum extraneum, ab aliis apostolis reprehensum, quod ad hominem intravit præputium habentem, non dedignatus est de omnibus reddere rationem (Act. x).

Et tunc episcopus Romam veniens prædictum monachum secum adduxit, multum in hoc ipso B. Petro apostolo serviens, quod illum hominem secum reducebat, cujus consilio et sapientia Romana Ecclesia aliquando regenda et gubernanda erat. Ille est enim Gregorius VII papa, cujus prudentiam, constantiam et fortitudinem, cujus pugnas et labores enarrari alterius temporis et operis est (1984). Et secundum Romanam consuetudinem cum magnis laudibus a clero et populo in pontificem electus est. Deinde vero in B. Petri apostoli cathedram elevatus, divina, ut opinor, operante providentia, mutato nomine, Leo vocatus est. Vicerat enim Leo de tribu Juda, a qua iste Leo originem ducens, factis fortissimis, bestiarum ad nullius timeret incursum. Cujus quidem rugitus mox terram commovit, terruit sacrilegos, turbavit, et conjugatorum exercitum vulneravit. (1985) Iste enim beatificus pontifex, sancti Spiritus igne inflammatus maxime contra Simoniacos exarsit, et ut clericorum ordo caste et religioso viveret, antiquos canones confirmavit, multum hoc ipso, ubi necessarium fuit, dispensatorie condescendens, et parva indicta poenitentia, apostolica auctoritate, de præteritis parcens, ne tale ulterius committerent admonebat. Hoc autem in exemplum suscipi non oportet, quod pontifex non voluntate, sed necessitate agebat, nisi et causa fortasse et similis

onus fuerat Gregorii VI pontificis, ab eoque ductus in Germaniam, cucullum S. Benedicti in monasterio Cluniacensi acceperat.

(1984) Hic patet Brunonis voluntas S. Gregorii VII gesta scribendi; quod utinam perfecisset! nemo enim diutius et familiarius cum eo conversatus est. Sed hæc pauca, quæ de eo tradidit, et quæ ab aliis scriptoribus sunt exarata, de invidia et de temeritate eos omnes satis evincunt heterodoxos præclaro jure nomini obtrectatores. Confundunt etiam levitatem illorum, qui nostris diebus celebritatem dicijæ festi abrogarunt.

(1985) Duas synodos pontificatus sui anno 1 habuit Leo, primam Romæ, alteram Papiæ, in quibus plures canones pro restauranda Ecclesiæ disciplina facti sunt: præcipue contra Simoniacos et incontinentes clericos. Romanam synodum Leonem statim congregasse anonymus Beneventanus pariter retulit. «Nam

sit, quia multoties Ecclesiæ rectores ea tolerare cogit, quæ corrigi non possunt. Quanta ei benignitas circa omnes, quanta humilitas, quanta mansuetudo, quam largus, quam affabilis, quam omnibus compatiens fuerit, quis dicere valeat? Omnibus omnia factus est, ut omnes lucrifaceret (1 Cor. ix), Sermo ejus sale conditus, et mulcebat pios, et terebat impios (1986).

Sed jam nunc ad ea veniamus, quæ per eum Dominus operatus est; non quod omnia scribere velimus, quæ de eo audivimus, vel etiam scripta reperimus (1987). Multa nobis beatus Gregorius papa, cujus superius mentionem fecimus, de hoc viro narrare solebat, a quo et ea, quæ usque modo dixi, magna ex parte me audisse memini. Qui cum nobis audientibus aliquando de ipso loqueretur, cœpit nos increpare, et me præcipue, ut mihi videbatur (siquidem in me oculos intentos habebat), quoniam beati Leonis facta silentio perire pateremur, et quod ea non scriberemus, quæ Romanæ Ecclesiæ **610** ad gloriam, et multis audientibus forent ad humilitatis exemplum. Sed quoniam in commune verba funderet, et nulli nostrum specialiter hoc agere jubebat, nemo fuit qui ea scriberet quæ omnibus scribenda mandabat. Nec ego quidem nunc ea scripsissem, nisi quodammodo, ut ea scribere coactus essem, sicut in sequentibus manifestabo. Pareat mihi uterque pontifex, quoniam utrumque me in hoc offendisse cognosco. Hoc igitur primum dicamus, quod in partibus Galliæ, admirabili Dei providentia per eum factum audivimus. Cum enim beatus Leo ibi concilia celebraret, multique ibi episcopi de Simoniacis hæresi accusarentur, inter cæteros accusatus est quidam, qui præ cæteris suspectus amplius habebatur: sed cum ejus accusatio certis iudiciis probari non posset, adjuravit eum pontifex, ut ipse de seipso diceret veritatem; qui cum veritatem dicere nollet, et suam iniquitatem modis omnibus celare conaretur, ait ad eum beatus Leo: «Si ergo, ut asseris, Simoniacus non es, et si in Spiritum sanctum non peccasti, dic mihi, si potes: Gloria Patri, et Filio, et Spiritui sancto.» Camque ille dixisset «Gloria Patri, et Filio,» quamvis multum conaretur, nulli modo et Spiritui sancto dicere valebat, atque id-

D

facta, inquit, primum synodo, quomodo Ecclesiarum pastores in suis se ordinibus haberent, sollicitè perquisivit. Et quos catholicos reperit, magis ac magis deprecabatur verbis, ut unusquisque super gregem suum studiosius vigilaret. Quos vero Simoniacos, seu Simoniacorum participes invenit; vel indicta poenitentia, quam debuit, in gradum pristinum revocavit, sive prorsus ordine irrevocabiliiter privavit. (1986) Hoc in testimonio eximias Bruno S. Leonis virtutes complexus est, præcipue vero prudentiam et liberalitatem, quibus omnium animos sibi mirifice conciliavit. Nonne admiranda est ac summo opere commendanda divina providentia, quæ talem pontificem suæ reparandæ Ecclesiæ dedit?

(1987) Omittere volumus fluitam a Leone controversiam a pluribus diu agitam de reordinandis a Simoniacis ordinatis, de qua Petrus Damiani scripserat, et asserentes iterandam ordinationem refu-

ipsum saepius repetens cum aperto ore Spiritum sanctum nullatenus nominare potuisset, omnibus, qui aderant, manifestum apparuit, in Spiritum sanctum eum deliquisse, cuius nomen dicere non valebat (1988). Omnes igitur in commune Deo gratias agebant, qui tam novum signum, tamque inauditum miraculum eis ostendere dignatus fuerat. Huius itaque iudicio nonnulli perterriti, ipsi per se ad pontificem veniebant, seque ipsos accusantes suas conscientias ei revelabant. Tunc quoque Cluniacensis abbas, bonae spei adolescens, cum a beato Leone interrogaretur si de illa sua tantae cœnobii prælatura aliquando ambitionem habuisset, ut veritatis discipulus, id quod erat respondit, dicens: «Secundum carnem quidem habui, secundum spiritum non habui.» Quae responsio tam grata, tamque laudabilis omnibus fuit, ut statim præ nimio gaudio in omnium corde scriberetur; seque vicissim, quid responderit interrogabant, et eadem ipsa verba tenere valuisent. Ipse autem non senex, et plenus dierum, cunctis venerabilis, cunctisque amabilis, idem ipsum monasterium venerabile sapientissime regit adhuc, vir per omnia laudabilis, difficilis comparationis et singularis religionis. Aliud quoque miraculum de eodem pontifice beatum Gregorium dicentem audivi; quod ego quidem nullatenus prætermittendum puto. Habuerat, inquit, beatus Leo magistrum quemdam, virum sapientem, et bene religiosum, qui unum scyphum ligneum ei mandavit, postquam Romanæ Ecclesiæ pontificatum suscepit. Hunc autem scyphum pontifex venerabiliter charum habebat, et pro beati Remigii veneratione, cuius ille scyphus dicebatur, libentius in illo, quam in vasis aureis et argenteis bibere solebat. Factum est autem, ut incante positus in terram cadens, in duas partes divideretur. Cum autem secundum consuetudinem beatus pontifex vinum sibi afferri iussisset, stabat pincerna facie turbatus, sibi que conscius de damno, quod sibi acciderat. Cui pontifex: «Quid habes?» At ille: «Quia scy-

taverat. Statuit igitur S. Leo, ut refert Gregorius VII ep. 45, valide esse ordinatos quibus Simoniaci episcopi manus imposuissent.

(1988) Manifesto portento episcopum de Simonia convicit, qui ejus reatum confiteri noluerat. In synodo Romana coacta ab eodem papa Leone IX an. 1019, Kilianus Sutrinus episcopus negans jurejurando admissum a se crimen Simoniae cum omnium terrore divinitus percussus est. Idem Berti Brev. tom. II, pag. 11.

(1989) Redux fuerat Leo ex Germania anno 1053, pontificatus v, ubi inter alia Bambergam ab Henrico I imperatore S. Romanæ Ecclesiæ donatam flagitante Henrico II cum Benevento ejusque comitatu commutavit, ab eoque exercitum obtinuit contra Northmannos Apuliam aliasque terras Romanæ ditionis hostiliter occupantes.

(1990) Refert Leo Ostiensis de Gebehardo, tunc episcopo Aristetensi, qui Leonem pontificem redeuntem in Italiam comitabatur, doloso consilio, cum jam multum itineris confecisset cum maximam exercitus partem ad defectionem impulsisse; cuius reatus toto vite suæ tempore creatus pontifex sub nomine Victoris II pœnitentiam egit. Ita Spundanus.

A plus fractus est.) Dixitque beatus Leo: «Vere fractus?» Et pincerna: «Fractus, mi domine.» Cui ipse: «Affer, inquit, illum ad me.» Qui cum attulisset, suscepit eum pontifex in manus suas, et coaptans particulas ad se secundum convenientias, quibus prius ad invicem sibi hæerere videbatur, tenuit cum paulisper in manibus; deinde vero sanum et integrum reddidit ministro, et ait: «Vade, et misce.» Huic autem miraculo beatus Gregorius interfuit, nobisque narravit. Cui alius quidam non tantæ auctoritatis vir, se nihilominus interfuisse et vidisse, postea mihi dixit.

Cum autem beatus Leo Romæ esset, et sedem apostolicam in pace rexisset, multi ex Apuliæ finibus veniebant, oculis effossis, naribus abscissis, manibus pedibusque truncatis, de Northmannorum crudelitate miserabiliter conquerentes. Unde factum est, ut vir mitissimus, pietate et misericordia plenus, illi tam immense miserorum afflictioni compatiens, illius gentis superbiam conaretur humiliare (1989). Collecto igitur modico quidem, sed fortium militum suæ gentis exercitu, super Northmannos prælaternus vadit (1990); zelum quidem Dei habens, sed non fortasse secundam scientiam. Utinam nos **611** ipse per se illuc ivisset (1991). Sed quid multa? Conveniunt utriusque partis exercitus, multi cum paucis pugnaturi (1992). Fit cædes immensa, multus hinc et inde sanguis effunditur; isti fortitudinæ, illi multitudine instant. Poterant isti dicere in morte sua, quod Salvatorem nostrum dixisse legimus in passione sua: Non haberent in nos potestatem, nisi datum eis fuisset desperare. Sed quid est hoc, quod boni vincuntur, et mali vincunt? «O altitudo divitiarum sapientiæ, et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia ejus, et investigabiles viæ ejus!» (Rom. xi, 53.) Superantur illi, qui pro justitia pugnant; superant illi, qui justitiam impugnant. De talibus tamen Apostolus nos consolatur, dicens: «Scimus quoniam diligentibus Deum omnia coope-

(1991) Brunonem Signien. hic loci protectionem ad bellum contra Northmannos S. Leonis non probasse pridem animadvertit clariss. Stephanns cardinalis Borgia in tom. II. Histor. Beneventi § VII, p. 25 in not., ejusdemque sententiæ sectatores præcessisse Petrum Damiani et Hermannum Contractum: sed ipse doctissimus historiographus, ut sui moris est, copiose et erudite S. Leonem ab omni critique defendit, ostenditque licitum esse Romanis pontificibus, quemadmodum secularibus principibus cogere exercitus, instruere agmina, vique armorum uti ad ecclesiasticæ, suæque sedis dominia, vel vindicanda ab usurpatoribus, vel ab inimicis defendenda. In exemplum enim adducit fortissimos Machabæos summos sacerdotes et principes, qui contra idololatrias et regem Antiochum pro tuendis patriis legibus longa prælia iniverunt. Memorat etiam Moysen, qui Amorrhæos aliasque gentes Israeliticum populum vexantes armis suis percussit ac profligavit. Sed constat ante Leonem IX, S. Leonem IV et Joannem X contra Saracenos, uti plures successores pontifices, ad repellendos hostes bona temporalia Ecclesiæ suæ invadentes propriis adscitisque viribus suos fecisse.

(1992) Commissum fuit hoc prælium die 18 Junii. Constabat Ecclesiæ exercitus partim ex Germanis.

rantur in bonum (*Rom. viii, 28*); sive moriantur, sive vivant, quidquid eis accidat bonum est illis; omnia cooperantur in bonum. Et quidem melior est mors quam vita iis de quibus dicitur: « Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum ejus (*Psal. cxv, 6*); quod omnes, qui pro justitia moriuntur inter martyres computantur: « Collocet eos Dominus cum principibus populi sui (*Psal. cxii, 8*). » Multa præterimus, et ex multis pauca colligimus; quoniam non totum, sed partem de toto scribere jussi sumus. Ecce subito fama volat, repletur terra, narratur ubique prælium esse factum, Christi milites et sanctorum exercitum esse superatum. Tunc vero miserandus pontifex Beneventum petit civitatem utique beato Petro fidelem et familiarem (1993). Audito itaque adventu pontificis, tota civitas obviam ivit, viri et mulieres, juvenes et virgines, senes cum junioribus, non quasi ad processionem, sed velut ad lacrymas et plorationem; stant attoniti, spectant de longe venientes; et jam pontifex appropinquabat, episcopis et clericis tristi vultu et inclinata facie procedentibus (1994). Postquam autem papa venerabilis venit inter eos, et elevata manu eis benedixit, clamor et ululatus tollitur in cælum, tota terra resonat fletu atque plangore. Tali itaque processione civitatem ingreditur, talique psalmodia ad ecclesiam venit. Aliquanto autem tempore ibi commoratus, Romam revertitur, atque per singulas civitates fletus et lacrymæ innovantur (1995). Quis enim se a lacrymis cohæbere poterat, qui eum cum tali exercitu euntem viderat; postea vero illa tam nobili militia desolatam, cum solis clericis redire videbat?

Veniens igitur Romam, ad beati Petri apostoli ecclesiam quantocius festinavit, suppliciter multumque devote eorum animas ei commendans, qui pro ejus amore, sibi usque ad mortem obedientes, pro defendenda justitia, proprium sanguinem fundere non timerunt. Cumque ibi moraretur, per revelationem in somnis ostensum est illi quod cito de hoc mundo exire debuisset. Jussit igitur episcopos et cardinales, aliosque clericos vocari ad se, et benigne satis hortatus est eos ut caste viverent, et contra Simoniacam hæresim viriliter pugnarent, et ait eis: « Scitis, fratres mei, quod post paucos dies ego de hoc sæculo exiturus sum; hac enim nocte ego infelix, et hujus Ecclesiæ sede indignus, per visionem sui in Ælia vita, pro qua jam tædet me habitare in ista-

partim ex Italis; primi valide pugnarunt; sed cum tali post primos impetus terga vertissent. Northmanni plenam victoriam retulerunt, captivo facto eodem pontifice, qui præsens pugna non fuerat, sed in quodam proximo castro se receperat.

(1993) Hoc S. Brunonis testimonium de subjectione civitatis Beneventanæ S. Petro, Romanæ nempe sedi apostolicæ, ejusque fidelitate erga pontifices, plurimi penditur a scriptoribus, qui temporale dominium, et pervetustam illius provincie possessionem Romanis pontificibus asserunt, ac jure defendunt. Vid. clariss. Borgiam *Histor. Benevent., tom. II, pag. 35 et seqq.* Item de dominio temporali S. sedis in utramque Siciliam pag. 112. Ipse S. pontifex Leo IX primus fuit, qui urbem Beneventi

Gaudeo vero vehementer, quod vidi ibi inter martyres Christi illos fratres, et amicos meos, qui me in Apuliam secuti pro defensione justitiæ mortui sunt. Erant autem bene ornati, palmas in manibus habentes, ut per hoc eos victores esse intelligant, qui eos victos esse putabant. Et revera « omne enim, quod natum est ex Deo, vincit mundum, et hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra (*Joan. v, 4*). » Clamabant autem omnes magna voce ad me dicentes: « Veni, dilecte nobis, et mane nobiscum; quia hanc tantam gloriam per te consecuti sumus. » Audivi autem ex adversa parte alios quosdam dicentes: « Nequaquam, sed die tertiam venies ad nos. » Si ergo post diem tertium in hac vita fuero, sciatis, hoc non fuisse verum, quod vidi. » Nemo autem miretur, si maligni spiritus eum, cui tam læta nuntiabantur, in visione terræ oblectari voluerunt, qui ipsum Dominum et Salvatorem nostrum quondam adire ausi fuerunt. Sic enim ipse Dominus ait: « Venit enim princeps mundi hujus, et in me non habet quidquam (*Joan. xiv, 30*). » Deinde vero ait: « Ite, fratres mei, unusquisque in domum vestram, crastina autem die revertimini ad me. » Tota autem illa nocte oravit ad Dominum procumbens super genua sua. Mane autem facto, tumultum sibi parari jussit. Convenerunt iterum episcopi et sacerdotes, sicut hesternam die vir ille beatissimus eis præceperat; quibus in ecclesia residentibus, ipse in lecto sedens, ait: « Audite me, fratres, et coepiscopi nostri, simulque omnes, qui huc convenistis: ante omnia præcipio vobis ut terras Ecclesiæ, vineas, castella, domos, cæterasque res Ecclesiæ non vendatis, nullusque sibi per possessionem eas defendere velit. Non habeatis usum jurandi: cavete a consanguineis vestris. Servis B. Petri, qui huc veniunt, irariam non faciatis, nec eos in negotiis decipiatis. Date decimas libenter de omnibus quæ possidetis. » Deinde conversus ad crucem, magnas preces pro omnibus fudit ad Dominum, suppliciter rogans, et deprecans, ut omnia eorum peccata eis dimittere dignaretur. Et cum hoc fecisset, iterum aspiciens in cælum, dixit: « Domine Jesu Christe, Pastor bone, qui pro nobis servilem formam induisti, et ad conversionem gentium duodecim apostolos elegisti, et beato Petro apostolo tuo dixisti: « Quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quodcumque solveris super terram, erit solutum et in cælis

cum pertinentiis suis, etc. Humfredo Northmannorum principi ejusque successoribus concessit in feudum. Vid. Borgiam locis citatis.

(1994) A Northmannis victoribus Leo Beneventum deductus fuit, sed humanissime cum eo acutum, sanctitatem tanti viri admirantibus. Statim curam egit pontifex, ut interemptorum militum cadavera sepultura, et precibus Ecclesiæ fruerentur, et opitulatus est singulis, qui vel captivi, vel vulnerati a certamine spererant.

(1995) Ab exitu mensis Junii an. 1053 usque ad diem 12 mensis Martii an. 1054 in potestate Northmannorum remansit Leo papa, a quibus tandem libertate donatus Urbem remeavit.

« (Matth. xvi, 19); ego indignus vicarius ejus deprecor immensam clementiam tuam, ut illos servos fratres meos, qui pro amore justitiæ interfecisti sunt, ab omnibus eorum peccatis absolvas, et in beatorum requiem introducas. Hos enim, Domine, quos ego excommunicavi, tu absolve, et ad veritatem converte: Simoniacam hæresim ac omnem hæreticam pravitatem destrue: fideles tuos benevolentianos, qui in tuo nomine tam honeste me susceperunt tamque affluenter mihi servierunt, et ceteros omnes tuos fideles benedicere, et custodire dignare; quoniam tu es Deus benedictus in sæcula sæculorum. Amen. » Postquam autem a locutione quiescit pontifex, paululum ibi commorati, redierunt omnes unusquisque in domum suam. Tota autem illa nocte, sicut et in superiori, in vigiliis, et oratione permansit. Altera autem die, tertia videlicet, quæ beati Leonis summi pontificis in hæc vita ultima erat, multo majori frequentia convenerunt omnes. Surgens autem beatus pontifex perrexit ante altare, et quasi unius horæ spatio multum lacrymans persistit in oratione; inde vero ad lectulum rediens, brevem sermonem fecit eis. Quo peracto, vocavit episcopos ad se, et facta confessione, suscepit corpus et sanguinem Domini nostri Jesu Christi. Tunc reclinavit se ad lectulum, et paulo post obdormivit in Domino. Surgens autem unus de episcopis tetigit eum, putans quod adhuc viveret et dormiret. Cumque cum jam obisse cognoscerent, mox undique convenerunt, et fecerunt planctum magnum super eum. Obiit autem beatus pontifex xiii Kal. Maii (1996), regnante Domino nostro Jesu Christo, cui cum Patre, et Spiritu sancto est honor, et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

Altera autem die post excessum beati Leonis, advenit mulier quædam de Tusciæ partibus: quæ cum per gradus sursum ascenderet, cœpit vexari a dæmonio, et diras voces magnosque ululatus emittere. Cumque beatum Leonem nominasset, ad tumulum ejus ab his qui ibi erant, tracta est. Unus autem episcoporum interrogavit dæmonem qui eam vexabat, dicens: « Adjuro te per viventem et regnantem in sæcula ut dicas nobis si Leo papa inter sanctos habet potestatem. » At ille respondens, ait: « Vere inter sanctos est Leo de quo interrogas, et magnam inter eos habet potestatem, et ipse maleficus hodie me de hac domo ejecit, quam ego jam per novem annos, et menses duos in mea habui possessione. »

Tunc autem mulier alia quædam infelix, quæ ibi erat, cœpit beato Leoni derogare et dicere: « Leo papa fugabit dæmonia, qui tot homines occidere fecit? Illa namque hora, qua ipse dæmonia fugabit, ego utique ero regina et omnes eos resurgere faciam, quos ipse suo facinore interemit. » Vix autem illa verba finierat, et statim a dæmonio arrepta, mirabiliter vexari cœpit. Mox autem illa alia mulier liberata est, quam de Fuscie partibus convenisse dixi-

(1996) Differt Bruno ab aliquibus aliis scriptoribus qui obitum S. Leonis collocant die 19 Aprilis

mus. Tunc omnes **613** qui aderant, in stuporem et admirationem conversi, cœperunt clamare et dicere: « Sancte Leo, parce nobis; sancte Leo, indulge nobis; et quia multum peccavimus, miserere nobis. » Eadem autem hora dno quoque contracti sanati sunt, qui per se ambulare non poterant. Ipsa autem eadem die jam circa vesperam, venit ad tumulum beati viri homo quidam surdus et mutus, qui etiam ad cancellum tanti mali paralysi gravissima tenebatur. Statim autem ut ad tumulum accessit, sanus et incolumis factus, loquelam pariter et auditum recepit. Multa quidam et alia miracula eisdem ipsis diebus per beatum Leonem Christus Dominus operans est, et cujus meritis esset nobis suis fidelibus retulere.

Illud quoque miraculum prætereundum immo est, quod **D** Joannes, vir egyptius, Portuensis episcopus, mihi narravit. Dicebat enim quod de partibus Transalpinis curiæ civitatis episcopus, eisdem fore diebus Romanus venerat, in cujus comitatu erat quidam homunculus, qui ab infantia mutus unquam locutus fuerat. Hunc autem servientes episcopi inter sarcinarios secum ferebant, quoniam ad sarcinas custodiendas fidelis valde et idoneus erat. Diu autem quadam, cum adhuc prædictus episcopus in Urbe moraretur, mutus ille, de quo diximus, beati Petri ecclesiam ingressus est; qui cum ad beati Leonis sepulcrum turbas omnium undique confluere conspexisset, ipse quoque accessit illuc. Tunc vero circumstantes intelligentes quod mutus esset, ut talibus hominibus facere solent, signis ei quibusdam innuere cœperunt, ut se ad beati viri sepulcrum humiliaret, et pro sua salute Salvatorem omulium exoraret, significantes ei hoc esse sepulcrum, in quo beatus Leo quiescebat. Palam enim illius virtutis fama ubique divulgata erat, et multi undique illuc venientes a variis ægreditibus sanabantur. Cumque diutius illi jaceret, somno gravatus obdormivit. Post paululum vero expergefactus surrexit, tamque absolute loqui cœpit, ac si nullum linguæ impedimentum abiqui passus fuisset. Stupent omnes, gaudent et exsultant, nec eum semel audivisse sufficit: jurat enim interrogare, et eum loquentem et respondentem audire. Tandem ad socios revertitur: qui postquam eum loquentem audiunt, læti valde, cum magna admiratione ante episcopum eum ducunt. Interrogat eum episcopus qualiter hæc ei omnia evenissent? **D** Narrat ille cuncta per ordinem, et dicit: se vidisse beatum Leonem; et cum ante ejus tumulum obdormisset, ille veniens, in ore illius digitos posuit, et diu ligatam linguam absolvit.

Nunc autem tempus admonet, ut quod superius promisi, exponam; videlicet quod ego non sine imperio ista dictaverim. Hac enim præterita Quadragesima cum Romæ essemus, vir valde venerabilis, Joannes Tusculanensis episcopus, quodam die cum ad Ecclesiam convenissemus, venit ad me ubi ego

anni 1054. Vid. eruditiss. Borgiam Histor. Benevent. tom. II, p. 59.

staban, présente Ubaldo, viro religiosissimo, Sabi-
nensi episcopo, et aliis quibusdam, et dixit mihi :
« Ego ad te nuntius missus sum. » Staban autem ego
attentus quid mihi dicere voluisset. Tunc ille : « Man-
dat, inquit, tibi Leo papa ut des illi centum millia
solidorum. » At ego : « Quid narras, inquam ? » Et ait :
« Verum dico tibi, sic tibi mandat. » Et tunc ea quæ
viderat mihi per ordinem narrare cepit. « Hac, in-
quit, nocte, cum ego dormissem, beatus Leo cum
pontificali apparatu mihi in somnis apparuit, dicens :
« Vade, et dic Signiensi episcopo ut det mihi centum
« millia solidorum. » Cumque ego intra me cogitarem
te tam divitem non esse ut tantam pecuniam ei dare
potuisses, ille meam cogitationem intelligens, ait :
« Vade, et dic ei ut det mihi centum millia aut quin-
« quaginta millia. » Hæc mandat tibi; vide ergo quid
ei respondeas. » Tunc ego sollicitus cogitare cœpi
quid hæc talis visio mihi significaret. Et post pau-
lulum interrogavi episcopum, si beatus Leo me illam
pecuniam dare, aut mutuari, aut reddere jussisset ?
Et ille respondit : « Non, sed dare. » Tum ego aliquan-
tulum confortatus sum : multum enim distat an
dare, an reddere aliquid debeamus. Timebam eni-
ne forte in aliquo eum offendissem, quod ex debito
solvere et necessario reddere debuisssem. Memineram
præterea quod ejus festivitas olim in nostra ecclesia
celebraretur; in qua, quoniam ego me negligenter
habui, tota ibi festivitas ipsa cessavit. Parcat ipse
mihi, quoniam non parum me in hoc peccasse cog-
nosco. Cum autem ab ecclesia domum redirem, et
hanc visionem nostris clericis narraassem, eadem
mihi exposuerunt quæ jam ego ipse mente concepe-
ram. Dixerunt enim : « Nos nullam aliam pecuniam
hanc esse putamus, quam beatus Leo a te requirit,
nisi ut de eo aliquid scribas, quod ejus memorie

conveniat : hæc est enim pecunia tua, reque ip-
« alia pecunia indigere videtur. Placuit mihi quod meo
intellectui aliorum quoque intellectus concordabat.
Et scientia in pecunia significatur, quod in Evange-
lio quoque eo loco intelligitur; ubi Salvator noster
servis suis talenta partitur. Sed quare centum mil-
lia, vel quinquaginta millia requirit? Horum enim
duorum numerorum alter est perfectus, alter im-
perfectus. Centies namque mille, vel milies centum
sunt centum millia, qui uterque numerus, id est
centum et mille, ideo perfectus est, quia non habet
ubi crescat. Omnis enim res tantum imperfecta est,
quandiu in aliquo crescere potest : centenarius au-
tem, vel millenarius **614** numerus replicari quidem
potest, crescere autem non potest. Est igitur per-
fectus : omnis enim qui numerat, postquam venit ad
centum vel ad mille, ibi finem facit, iterumque ab
uno numerare incipit. Quinquagenarius autem nu-
merus imperfectus est, quia in melio centenari-
positus est, neque finem facit, et ultra se tendere
potest. Quod igitur vir beatissimus mandavit mihi
ut darem sibi quinquaginta millia solidorum, quo-
niam, ut sibi videbatur, et ei, cui ipse loquebatur,
centum millia dare non poteram, quid aliud signifi-
cat, nisi ea quæ ad ipsius laudem et gloriam per-
tinent perfecte narrare inciperem? Dedi igitur ei
solidorum quinquaginta millia, quia dare non potui
centum millia, id est quia perfecte omnia narrare
non potui. Precor autem, beatissime pontifex, ut
grata habeas hæc munuscula mea; tuisque sanctis
precibus obtineas apud Jesum Christum Salvatorem
nostrum, ut dimittat mihi delicta mea. Qui cum
Patre, et Spiritu sancto vivit et regnat Deus in sæ-
cula sæculorum. Amen.

RESPONSIO

Ad eam questionem : *Cur corruptus tunc temporis Ecclesie status*

Restat autem ut nunc ad eam questionem respon-
eamus, ad quam nos superius responsuros fore
romisimus. Diximus enim : Jam nunc a temporis
beati Leonis sic Ecclesiam fuisse corruptam, ut
ix aliquis inveniretur qui vel Simoniacus non esset,
et a Simoniacis ordinatus non esset (1997). Unde
tiam usque hodie inveniuntur quidam qui, male
argumentantes et Ecclesie dispensationem non bene
intelligentes, ab illo jam tempore sacerdotium in
ecclesia defecisse contendunt. Aiunt enim : Si om-
nes tales erant, id est si omnes vel Simoniaci, vel a
imoniaci ordinati erant, vos, qui nunc estis? ant-
nde venistis? Per quos nisi per illos intrastis? Non

(1997) Idem testatur Fleurius lib. LXII, num. 65. Grego-
rium VII S. Cgoni Cluniacensi abbati scripsisse et
ab eo de infelicissimo Ecclesie statu quas un esse.

fuit via aliunde : ergo illi, qui vos ordinaverunt, ab
illis et non ab aliis suis ordines susceperunt, qui vel
Simoniaci erant, vel a Simoniacis ordinati erant.
Hæc est igitur questio cui nos respondere debe-
mus.

Sed prins, quid sint Simoniaci et unde dicantur,
dicere oportet; deinde vero, quia multum distat
inter Simoniacos et eos qui ordinantur a Simoni-
acis : si tamen non eos Simoniacos esse cognoscunt,
quis enim episcopum aliquem Simoniacum esse non
dubitatur, si ab eo ordinatur, parum quid in ordine
distat ab eo a quo ordinatur (1998). Scit enim eum
furem esse et latronem, nihilque aliud in sua orli-

(1998) Clariss. Petrus de Marca docet sub Gotho-
rum regno, et tempore Theodorici regis invectionem
Simoniacum in sacris ordinationibus, quod ab electis